

clarè loquitur de masculis, & foeminis: & ad finem concludit, *sed & si quis inter hec ministeria sexualis conditionis fuerit comprehensus, citi sexus distinctionem.* Quòd si dicas ibi esse sermonem de opem ferentibus raptoribus, atque: etque comprehendi foeminas, ac masculos raptus auxiliantes: nil proderit euasio. Quia si foemina opem ferens raptum comprehendit sub illis penis: ergo à fortiori foemina ipsa raptrix. Quam consequentiā mirū in modum confirmat. c. 2. de apostat. iuncta communi doctrina. Nam ibi soli acolyti qui ministeriū exhibet sacerdoti rebaptizanti imponitur irregularitas: & cum nullus alius textus sit ipsi sacerdoti rebaptizanti eam statutus, omnes Doctores eum textum ad sacerdotem rebaptizantem extendunt, ac asserunt per eum textum esse irregularem. Cuius extensionis rationē optime explicat Suarez. 3. p. q. 7. ar. 4. disp. 3. r. sectione. 6. quòd ea irregularitas sit propter nefandum ministeriū, quod multo magis conuenit rebaptizanti, quā ministranti: & quòd ea cooperatio nō sit in rebus, & actionibus distinctis, sed in eadem actione. Quod in præfenti casu prorsus inuenitur. Quippe peius delinquit foemina ipsa raptrix, quā si raptienti opem præstat, ac cooperatio illa, & auxilium non sint in actionibus distinctis, sed in eadem. Si ergo foemina auxilium raptus præstans incurrit penas raptus: ut expressè decernit. d. l. vnica: à fortiori incurret ipsa foemina raptrix. Et tandem, quia quòdò verba possunt adaptari mulieribus, sicut masculis, & materia potest conuenire vtrique; sexus, masculinū comprehendit foemeninū etiam in penalibus, & odiosis, iuxta Doctrinam Bartoli communiter receptam. l. iura, in fine. ff. de legibus. Atque ita Clem. 1. de regular. statuitur vt religiosi mendicantes ex Pontificis licentia transeuntes ad non mendicantes, vocè, & locum in capitulo minime habeant: & tamen glossa ibi verb. quoslibet, in fine. Cardinalis ibi, in principio. q. 7. n. 15. Immo l. n. 8. & communis, affirmant extendi masculinum ad foemeninum, ac proinde comprehendunt quoque; moniales transeuntes. Ita igitur dicendum erit in præfenti. Et hæc sententia est valde probabilis: & illam sustinet glossa. d. l. vnica verb. sponfam, & ibi Bald. n. 21. idè Bald. l. penul. n. 7. C. de episc. & cler. l. si ita. q. 1. in fine. ff. de iniur. rupto, & irrito. factō testam. & c. causam matrimoniij, de probat. in fin. Et fortè esse veram dicunt Host. sum ma tit. de penis raptorum

corporum nu. 1. vers. hoc autem delictum, & Azo. summa tit. de raptu virg. num. 31 eandem sustinent Ananias. cap. fin. num. de raptor. Angelus. d. l. vnica, in fine, dicens semel se vidisse Florentiæ meretricem cõburi, quòd puerum raptisset. Hyppolitus d. l. vnica num. 235. & l. i. quis viduam nu. 6. ff. de quætionibus. Carrius practica criminali, vbi de raptu. §. hinc nata occasione, aliqua de raptu differamus num. 27. & c. 29. Barbatius cens. 6. 4. num. 12. volum. 1. Petrus de Berma in additionibus ad Iacobum Buttricanū. l. raptores, col. penult. C. de episc. & cler. Franciscus Curtius, & collectarius, quos refert, & sequitur Tiraquel. de retractu Lignagier. §. 20. gloss. vnica, nu. 4. vbi num. 5. & l. 9. connubiali num. 112. refert varias foeminas virorum raptrices. Ludouicus Gomez regula Cancellaria, de infirmis resignantibus. q. 6. §. sed his non obstantibus. Antonius Gomez. l. 80. Tauri nu. 37. Cantero quæst. crim. quæst. tangebis punitionem delicti. c. 4. nu. 20. Azebedo lib. 8. recopil. tit. 13. l. 2. num. 95. Vela tractatu de penis delictorum. c. 29. §. tertio ex illa. Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 14. nu. 4. Manuel. l. tom. summa. 2. editione. c. 23. nu. 4. Vega. 2. tomo summae. cap. 3. 4. casu. l. 57. notabili. §.

His tamen non obstantibus, verius est 25
minimè comprehendi foeminas virorū raptices, sed alia pena extraordinaria puniendas esse. Ducor primum, quòd solius viri raptientis meminerit. l. vnica. C. de raptu virg. nec foemeninum sub masculino claudatur, maxime in odiosis, & penalibus. l. 1. §. quare. ff. de vent. in pos. mitt. & l. iuxta. ff. de verb. signif. Secundū, quòd leges non adaptantur ijs quæ rarissimè contingunt, sed ea sola quæ frequenter accidunt, spectent, ac comprehendant. l. nā ad ea. ff. de legibus. At rarissimū, & vix auditum est, vt foemina virum rapiat. Tertiu, quia. d. l. vnica. §. & si quidè vers. penas autem, vbi penas statuit aduersus opem ferentes raptus, volēs vtrique; sexu id efficientem comprehendit, id expressè: & ad finem vers. sed & si quis, iubes hos auxiliantes, si serui sint, concremarj, neutrius sexus rationē esse habendā decreuit: quòd opem ferre lenocinando, vtrique; sexu id efficientem comprehendere voluit, bis expressis: non obscurū indicium est, noluisse eam, comprehendit sexum foemineū, dū raptoribus eadem lex penas indicens, solius viri raptientis meminit.

Quar-

Quartū quia ob eandem rationem, multi sentiunt vnicidm non esse impedimentum matrimoniij: quòd iura solius vxoris occisionis meminerint: & illud delictum sit rarum: hoc autem frequens. Quod authoribus relatis sequemur hoc lib. disp. 16. nu. 6. Quintū quia cum maior honestas delideretur in foemina. l. si furiosi. C. de nuptijs: atrocius delictum est raptus foeminae perpetratus à viro, quā si foemina virum rapiat. Multò enim grauior iniuria irrogatur honestati foeminae raptae, quā viri rapti. Quippe nec masculus raptus, nec eius parentes, ac conlanguinei eā iniuriæ, & infamiam patiuntur: ac quando foemina rapta est. Quam obrem cum pena delicti commensurari debeat. c. non asseramus. 2. 4. q. 1. par. nō est, pena raptori foeminarū inflicta plecti mulieris viri raptorem. Sextum quia tunc verba, gratia frequentioris vsus posita in lege, extenduntur ad alios casus nō ita vitiosos, quando in vtrisque; eadem ratio inuenitur, vt latè Tiraq. de retractu Lignagier. §. 20. glossa vnica nu. 6. ar. in raptu viri à foemina commisso non inuenitur eadem ratio, vt proximè probaui. Tandem, quia frequentia maior delicti, & maior inclinatio ad illud aditendum, sunt in causa, vt pro minori delicto grauior pena imponatur, vt tradunt optimè glossa. c. admonere verb. existimes. 33. q. 2. D. Thom. 4. d. 37. quæst. 2. ar. 2. ad. 2. & ibi D. Bonauen. art. 2. quæst. 1. corpore. Ricard. ibi. art. 2. quæst. 2. ad vltimum. Turrec. capit. interfectores, art. 2. nu. 5. in solutione ad. 1. 33. quæst. 2. Euerardus in suis Topicis, loco ab effectu nu. 6. Cum igitur rapi virum à foemina rarissimum sit, ac modica sit in foemina pronitas ad id perpetrandum, non est verissimè, ac rationi consonum, penā raptus perpetrati per virum, extendi ad raptum per foemina admissum. Et ita huius sententiæ sunt Cynus. l. vnica, num. 4. q. 2. C. de raptu virg. & ibi Albericus, nu. 11. Salicetus nu. 7. Guillelmus relatus à Baldo. l. penultima. n. 7. C. de episc. & cler. Griladus de penis onisfariam coitus. q. 10. nu. 23. Berlachinus in suo repertorio, littera. M. verb. mulier. §. mulier punitur versic. mulier rapti: & littera. R. verb. raptor mulieris vers. raptus pena. Montalius. l. 3. fine. titul. 20. par. 7. Iodocus in sua practica. c. 95. num. 17. Iulius Clarus lib. 5. receptarum. §. raptus num. 6. Menochius, de arbitrijs, lib. 2. centuria. 3. casu. 291. fine. Decianus tractatu criminali, lib. 8. cap. 7. numer. 27. Go-

thofredus author quidam modernus. l. v. ca. verb. etiam foemine. C. de raptu virgini. Veracruz appendice ad speculum, vbi de raptu, fol. 84. §. respondetur quòd raptus. Quòd si foemina foemina rapta, confulentur sunt Doctores citati: & breuiter existimo non extendi eas penas ad hunc raptum. Quòd hic quoque casus sit rarissimus. Quauis videam multos tenere oppositum.

Ad argumenta num. 24. proposita respondetur. Ad primū constat ex dictis nu. præcedenti non subesse eandem rationem in vtroque; casu. Ad secundum dic, non gratia frequentioris vsus factam fuisse mentionem de foeminarum raptu: sed quòd alter casus sit rarissimus, & ita leges illum non spectent. Deinde esto id esset verum, non subest eadè ratio: ac proinde verba, gratia frequentioris vsus ibi posita, non extenditur ad alium casum: iuxta num. præcedenti dicta. Ad tertium dic, subesse profus eandem rationem affinatis contractæ cum altero coniuge in vtroque; casu, & vtrumque satis frequentem esse. Ad quartum dixi nu. præcedenti contrariam sententiam esse verioriorem. Ad quintum dic, eò locum potius fauere nostræ sententiæ, vt nu. præcedenti probaui. Nam ibi imponitur pena siue masculis, siue foeminis auxiliantibus viro qui mulierem rapit. Nec inde inferitur foemine quoque; rapti imponi. Quia raptus subiacens penis, & auxilium hoc versantur circa eandem actionem: sicut rebaptizatio sacerdotis, & ministerium acolyti: ac proinde optimè inferretur, auxilians viro vt foemina rapiat, incurrit penas: ergo & ipse vir raptiens iuxta id. c. 2. de apostatis. At auxilium obnoxium illis penis non est: si foemina virum adiuet, quòd aliam foeminam rapiat: ac proinde ex pena adiuucta auxilianti circa diuersam actionem, non inferitur principalem exercentem actionem diuersam, nempe, foeminam viri raptorem subdit illis penis. Ad vltimum dic, id esse verum, quando subest eadem ratio, vt in exemplo ibi relato contingit. Ratio enim illius decisiois (vt ex præfatione illius textus constat) est, vt professores cuiusvis ordinis in sua vocatione persistant, ac quietiorem in ordine ad quam transeunt, vitam agant: quæ æque in monialibus habet locum, at in nostro casu non militat eadem ratio.

26

S V M M A R I V M.

A N raptā nubens raptori amittat lucrum quod sibi lege defertur? Proponitur quaedam sententia, nu. 27.
 Contra auctoritas, nu. 28.
 Soluuntur argumenta, nu. 29.
 Post nu. 29. inuenies alia summaria.

27

Questio. 3. An raptā nubens raptori amittat ipsius raptoris bona, quae ob raptum iniuriam sibi lex civilis deferebat, iure canonico predictam legem corrigentem? Praemittendum est l. vnica. C. de raptu virg. §. & si quidē vers. fin autē, bona raptoris, & auxiliantium, statim ad raptū dominū transferri. At auth. de raptis mulier. §. vnico, vers. fancimus: & l. regia. 3. tit. 2. o. p. 7. fanciri, ea bona à muliere deperdi, si raptori nubat. Queritur ergo, an hoc habeat locū attento iure canonico, quod libertati matrimonij valde fauet, ab eo omnem poenam excludens? Duplex est sententia. Prima ait eam legem non esse iure canonico correctam: ac proinde id bonorum lucrum non deferri mulieri raptae, si raptori nubat. Ducitur, quoniam cum bona illa raptoris sint lucrum quoddam per legem civilis delatum mulieri raptae, eadem lex civilis deferens lucrum, appositum conditionem, nisi raptā raptori nubat, vt constat ex. d. auth. de raptis mulier. quod si dicas eam non esse conditionem, sed poenam: quod lucrum sit iam delatum per. d. l. vnica. Saltem negari nequit in regno Castellae esse conditionem lucro acquirendo adiectam, attenta l. regia. 3. tit. 2. o. par. 7. ibi: *E demas deuen de ser todos los bienes de la muger, que a si ouiesse robada: fueras ende, si despues deso ella de su gracia cossesse con el que la robò, d forpò, non auendo otro marido.* Ergo nubens raptori amittit id lucrum, tanquam conditionem minimè implens. l. cum ita legatur, in principio. ff. de condit. & demonst. Nec euaditur difficultas, si dicas eam conditionem nuptias impediētem rejci tanquam inhonestam, & libertati matrimonij obstantē. Quod ea conditio non inducat viduitatē, nec matrimonij inuendi libertatem auferat: sed tantum impediat matrimonium cum raptore, tanquā indigno. At vtroq; iure admittitur conditio quae impedit nuptias, non absolutè, sed cū certa persona indigna, sub poena amissionis lucri, quod comparandum erat, abstīnēdo nuptijs illis. Nil enim iam acquisitum

aufertur, sed lucrum comparandum paren- do conditioni, vt diximus lib. 1. disput. 34. num. 39. & sequentibus. Secundo quia tantum abest vt ius canonicum legem civilem in hoc correxerit, vt potius eam approbaret, vt constat ex. c. cum secundum leges, de haeret. in 6. ibi: *Et mulier humanam legem transgrediens, raptorum nuptias eligens, bona omnia qua per legem sibi obtulerant à raptore amittat.* Et confirmatur, quia supponit esse delictum, si raptā nubat raptori, vt constat ex comparatione quā ibi facit textus, inter contrahentem incestas, & nefarias nuptias, & mulierem contra legis humanae praescriptum nubentem raptori. Et ideo hanc sententiam tenent glossa eo. cap. cum secundum leges, verb. certo; casu. Ioann. Andr. ibi, ad finem vers. in glossa cum parentibus. Et ibi Anchar. ad fin. vers. quirit gloss. Dominicus ibi, in principio nu. 6. fin. Anton. c. 1. de sponsal. n. 12. vers. quandoq; statum, & ibi Felin. nu. 15. fallacia. 2. vers. & quia collata. Francisc. Aret. cap. Ecclesia, de constitut. num. 1. colum. 4. vers. his tamen non obstantibus. Et tanquā tutiorem sustinent Ananias. c. penultimo, nu. 5. paulo post principium, de raptor. & Saly ceterus l. vnica nu. 12. C. de raptu virgin. Eandem tenent Ioannes Lupus. c. per vestras, notabili. 3. §. 3. num. 13. de donat. int. vir. & vxor. Lucas de Penna. l. 4. in fine. C. de nauicula. rijs, lib. 11. Franciscus Currius add. ad Decium. c. ecclesia. nu. 120. de const. in noua editione. Brunellus de sponsalibus, concl. 19. n. 7. Bonfacius de vitalinis tractatu de maleficijs. tit. de raptoribus, nu. 2. in fine. Iulius Clarus lib. 5. receparum. §. raptus. n. 8. fine. Gothofredus. l. vnica. C. de raptu virg. verb. raptam raptori. Et in hanc magis inclinat, licet cogitandum relinquit Gregor. Lopez. l. 3. verb. cassale, in fine tit. 20. p. 7. & est valde probabilis.

Secunda sententia (quā veriore exillimo) ait correctā esse legem civilem per ius canonicum, ac proinde id lucrum deferri mulieri raptae nubenti raptori. Potissimū huius sententiae fundamentum est, quia ob id lex civilis abstulit id lucrum raptae nubenti raptori, quod ea attenta id matrimonium stare nō posset, atq; adeo in matrimonij iniustè initi poenam, lucrum denegauit. Cum ergo ius canonicum legem civilem correxerit id matrimonium impediētem, ac dignitē (vt nu. 4. 1. & sequēti dicemus) corripit quoq; poenā illi iniusto matrimonio accessoriā. Et confirmatur, quia. l. vnica.

C. de

C. de raptu virg. §. & si quidem vers. fin autem, prius bona raptoris raptae detulit: ac deinde interdixit matrimonium. Et postea auth. de raptis mulier. §. vnico vers. fancimus, statutū est vt ea bona non acquireret raptā, nubens raptori: quasi iniquū matrimonium eligens, in delicti poenā: vnde causa finalis illius amissionis, est prohibitio matrimonij. Ea ergo per ius canonicum cessante, cessat quoq; poena amissionis lucri. Et interdictionem matrimonij esse causam priuationis lucri, clarè colligitur ex. d. anthen. vers. quia enim, vbi ratio illius constitutionis dicitur esse, quod matrimonium inter raptorem & raptā stare prohibitū sit. Insuper solet probari hanc sententia, eō quod lex civilis auferat matrimonij libertatem. Quod ius canonicum abhorret. Sed haec ratio non placet. Quia clarè probat contraria sententia, non impediri matrimonij libertatem. Hanc sententia sustinent gloss. c. de puellis, in fin. 36. q. 2. Federicus cons. 36. Holst. summa tit. de penis raptorū corporum, nu. 1. fin. vers. sed numquid. Goffredus summa tit. de raptoribus, n. 8. Archid. c. cum secundum leges, de haeret. in 6. nu. 1. vers. certo casu. & ibi Zenzelinus, & magis in hanc propendit, licet non omnino asserat Franciscus ibi, in principio, nu. 2. Abb. c. Ecclesia nu. 15. de constit. & in repetitione eiusdem. c. nu. 19. & c. 1. nu. 8. de sponsal. vbi Alexander de Neuo, nu. 24. Felin. nu. 60. Decius in nouiori editione, num. 120. idē Decius. l. nuptias. n. 12. fin. ff. de regul. iuris. Idem Abbas. c. penul. num. 4. fine, de raptor. (licet in hoc vltimo loco trepidet, ac cogitandū relinquit.) Ioannes Lupus. c. per vestras, de donat. int. vir. & vxor. notabil. 3. §. 2. o. nu. 8. Alexander. l. Scius & Augerius num. 4. ff. ad l. falcidiam. Crotus. l. omnes populi. n. 44. vers. 4. facit. ff. de iust. & iure. Couar. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 9. num. 2. Decianus tract. criminali. lib. 8. cap. 13. nu. 49. Peguera decis. criminali. c. 42. nu. 2. Vela de poenis delictorum. c. 29. & ex Theologis, Abulensis. c. 5. Matth. q. 205. colum. vltim. Enriquez lib. 12. de matr. c. 14. num. 4. in commento, littera. N. Ludouicus Lopez. 2. p. in stru. de matrim. cap. 41. paulo post principium. Manuel. 1. tom. summe. 2. editione. c. 232. fine. Vega. 2. tomo summe c. 34. casu. 157. fine.

Ad argumenta. n. 27. proposita respondetur. Ad primū dicē eā non esse proprie conditionem, sed poenā iniqui matrimonij: vt n. praecedēti explicui. Nec lex illa. 3. tit. 20.

p. 7. aliquid nouum statuit: sed idem quod auth. de raptis mulier. statutū erat. Nec alia replica facit cōtra nos: nō enim tuemur eā conditionē rejci, quasi impediēte matrimonij libertatē, vt. n. praecedēti dixi. Ad secundū dicē cum Decio. d. c. Ecclesia nu. 120. allegato nu. praecedenti, nō esse approbationem legis civilis: quod ponantur ea verba in facti narratione, atq; ita non contineant ius: iuxta glossam. c. 2. verb. non teneri, de dolo, & contum. in 6. Ad confirmandū, supponi esse delictum stante valore legis humanae. Atque ita ait. *Mulier humanam legem transgrediens.* Ea tamen iure canonico correctā, cessat delictum.

S V M M A R I V M.

In quo consistat specialis malitia raptus in foro conscientiae? nu. 30.
 An raptus sit species distincta, necessario fatenda, quando est violentia sine abductione de loco ad locum? nu. 31.
 Quid, si precibus importunis femina cognoscatur? nu. 32.
 Quid, si dolo, vel ignorans? nu. 33.
 Quid, si femina sui iuris iniuste abducitur, & post volens cognoscatur: aut e contra: & sit censenda iraque vis concurrens? nu. 34.
 Quid, si sub parentum, aut tutorum potestate constituta, volens abducatur ipsi iniuste: aut cognoscatur: vel iniuste, ipsi tamen consentientibus? nu. 35.
 Quid, si ipsi ignorantibus? nu. 36.
 An sit raptus feminae cuiuscunque status, etiam meretricis? nu. 37.
 Quid, quando non causa libidinis educitur, aut non venitur ad copulam? nu. 38.
 An sit raptus propriae sponsae? nu. 39.
 An sit raptus in foro conscientiae, si mulier virū raptat? nu. 40.
 Post num. 40. inuenies omnia summaria quae desiderantur.



Questio quarta. Quid raptus sit, quod attinet ad forum conscientiae, & vt constituit circumstantia specificā luxuriae necessariā expremendam in confessione? Questio haec pendet ex cognitione, in quo consistat specifica malitia raptus. Ea consistit (vt colligitur ex. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7. ad. 2. & Caie. ibi in solutione ad. 2. dubiū, quod ho-

F 4 vt

vt quò libidinem expleat, vim inferat feminæ, aut sijs sub quorum potestate, ac cura est. Adde, cum actus veneris in solo matrimonio legitime exerceatur, quod vt debito ordine feruato inearit, desiderat feminæ, & eorum sub quorum cura est, beneplacitum. In vnicâ, ad finem. C. de raptu virg. inde esse, specialiter à debito ordine deuiare copulam raptu extortam, quòd aduerfetur beneplacito feminæ, aut eorum quorum potestati fobditur. Ex quo fit raptum duplicem malitiam specificam habere, alteram castitati aduerfam: in quantum coitum extra matrimonium claudit: alterâ iustitiâ oppositam, ratione violentiæ quâ importat. Vnde est duplex species, sicut adulterium, incestus, & sacrilegiû duas species diuersis virtutibus aduersas continet. Quare (vt bene annotat Caict. 2. 2. q. 154. art. 1. circa 2. argumentum. Et Vazquez. 1. 2. q. 18. art. 10. disp. 53. nu. 19.) hæ species non sunt directè contentæ sub genere luxuriæ formaliter contra castitatem: sed in illis omnibus reperitur quædã luxuriæ species infima castitati opposita, illiq; aliæ species alijs virtutibus oppositæ coniunguntur. Sed obijcies inde deduci, species has per accidens se habere ad luxuriæ speciem. Cuius contrarium docet. D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 1. ad. 2. Sed dic sententiam. D. Thomæ non esse ita accipiendam, quasi ex duplici illa luxuriæ specie vnica cõfletur: sed quia ita comparatur posterior illa iniustitiæ species, priori luxuriæ speciei: vt quò magis posterior illa crescit, eò magis prior augeatur. Cùm eò mali libidinis affectus hominem pertrahat, vt illo captus in iniustitiâ raptus, adulterij ve prorumpat, aut in sacrilegium, aut in incestum. Atq; ita se explicuit. D. Thom. in ea solutione ad. 2. & illud explicat Caict. ea. q. 154. art. 7. in solutione ad. 2. dubium: & Vazquez. d. art. 7. nu. 11. vbi bene aduertit consultò nõ dixisse. D. Thomam eo. ar. 1. ad. 2. posteriore speciem non comparari per accidens cum priori: sed dixisse non omnino per accidens, ob rationem dictam. Quare idem. D. Tho. q. 15. de malo. ar. 3. ad. 3. dicit, quòd hæ deformatitates iniustitiæ ordinentur ad intemperantiam, totum ad genus intemperantiæ pertinere.

Hinc primò deducitur, quauis ad penas raptoribus iure decretas incurendas, desideretur violenta de loco ad locum abductio (vt nu. 20. diximus) at vt in foro cõscientiæ raptus sit, circumstantiamq; raptus

specie diuersam à fornicatione, necessariò confitentiam habeat, id non desiderari: sed sufficere quomocunq; vim feminæ inferri ad copulam extorquendam. Ratio est in promptu, quippe vltra fornicationis malitiam aduersam castitati, adest malitia violentiæ illatæ contra iustitiam. Atq; ita expressè videntur docere. D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 7. & Turrec. c. raptus. 36. q. 1. nu. 3. vbi postquam dixere raptum cõmitti, siue femina renitens abducatur, siue consentiens inuitis parentibus, cõcludunt qualitercunq; vis adit, rationem raptus constare. Et tenent Syl. verb. luxuria. 1. q. 1. vers. raptus verò, vbi Armilla nu. 4. & verb. rapina nu. 4. Abulenfis. cap. 5. Matth. q. 205. paulò post principium. Sotus. 4. d. 18. q. 2. art. 4. col. 12. vers. de simplici verò stupro. Nauarrus summa. c. 16. nu. 3. Nauarra. lib. 2. de relit. c. 3. p. 4. vbi de la dente in ceteris corporis bonis, in noua editione, dubio. 1. nu. 4. 18. Toledo lib. 5. summa. c. 12. nu. 7. Vega. 1. tomo summa. c. 105. casu. 1. ad finem, & 1. tomo. c. 55. casu. 25. §. la segunda. Ioannes Hessels in expositione decalogi, præcepto. 6. c. 9.

Secundò deducitur idem dicendû esse, si femina importunis precibus ducta, cõsensum copulæ præbeat: quando preces importunæ tales sunt, vt violentiæ equiparentur: iuxta nu. 10. dicta. fecus si preces importunæ non sint eiusmodi. Quòd raptus violentiam ad sui rationem desideret, vt probaui nu. 6. Atq; ita quando simplicibus precibus importunis, aut pretio ducitur mulier, non esse raptum, tradit Veracruz appendicæ ad speculum, vbi de raptu, fol. 81. §. verum animaduersione, & fol. 82. §. consequenter etiam. Quòd etiam tenentur dicere omnes qui in ea sunt sententia, vt preces importunæ vim non importent. Quauis contrarium dicent, sentientes eas vim continere. Doctores vtriusq; sententiæ, & eorû rationes retuli lib. 4. tota disp. 7. & ibi discussi.

Tertiò deducitur nõ esse propriè raptû, quando femina absq; vi aliqua, fraudibus, vel ignorans cognoscitur, vt si quis fraudibus copulam extorqueat: vel rem habeat cum femina dormienti, aut putanti esse virum suum. Quia licet fraus, & ignorantia illa voluntarium auferant: vim minime inferunt, quæ ad verum raptum necessaria profors est. Sicut non est rapinam eò domino ignoranti, aut dolis circumuento auferre. At eà copula continet malitiam spe-

cie diuersam à fornicatione, ac necessariò confitentiam: eaq; reducitur ad raptû. Cõstat, quia eà copula non solum castitati aduersatur, sed etiam iustitiæ. Negari enim non potest aduersus iustitiam delinqui, iniuriâ irrogando feminæ, eà præter voluntatem carnaliter cognita. Dixi autem reduci ad speciem raptus: quòd nolitio illa feminæ assimiletur, & accedat violentiæ: cû vtrobiq; voluntas desit. Sicut hoc lib. disp. 5. n. 10. & 11. diximus, accessum ad cognatâ legalem, vel ad eam cum qua est publicæ honestatis impedimentum, non esse propriè incestum, qui in sola copula cum consanguineis, vel affinis reperitur, reduci tamen ad eam speciem incestus, quòd inde oriatur quædam coniunctio affinitati similis, quæ per copulam violatur. Sed dice furtum præter voluntatem domini admiffum, eò, nimirum, ignorante, aut fraudibus circumuento, nullam speciem malitiam rapinæ fortiri, nec propriè, nec reductiue, sed esse simplex furtum. Dic diuersam esse rationem: quòd tota malitia simplicis furti in eo versetur, vt præter voluntatem domini fiat, eo enim volente, culpa vacat. Quare vbi sola est nolitio absq; vera violentiâ, est simplex furtum. At malitio fornicationis inuenitur vbi femina copulæ cõnuet: quare ipsa non cõnuet, ad alterius speciei malitiam transit copula illa, siue voluntarium auferatur per vim, siue per ignorantiam, aut dolum.

Quartò deducitur esse raptum specie diuersum à fornicatione, siue femina sui iuris inuita abducatur domo, & post modum copulæ consentiat, siue solum inuita cognoscatur, quauis volens abducta sit. Quia in vtroq; casu inuenitur violentia. Et constat ex ijs quæ nu. 31. retuli ex. d. Thoma, & Turrec. nimirum, esse raptû, qualitercunq; violentia adit. Et in proprijs terminis esse raptum specie diuersum à fornicatione, quando femina volenter educitur, licet postea copulæ consentiat, docent Sotus, & Ioannes Hessels vbi eos nu. 31. retuli. Erit tamen explicandum in cõfessione, si vtraq; violentia adit, tãquam circumstantia notabiliter aggravans violentiæ iniustitiam.

Quintò deducitur esse raptum explicandum in cõfessione, tanquam specie diuersum à fornicatione, si femina sub potestate parentum, aut tutorum constituta, omnino consentiens ipsis inuitis abducatur domo. Quia quauis femina etiam virgo iniustitiam non inferat patri, consentiens suæ

defforatori, nec ipsam volentem defforari (vt disp. 14. dicemus), at extractio seminum consentiens à domo parentum, vel tutorum, sub quorum custodia est, manifestam iniuriam illis extractioni renitentibus infert, atq; proinde est noua culpa iustitiæ aduersa. Constat ex dictis nu. 12. & 14. omnes enim Doctores ibi allegati, fatentur illum esse raptum. Et præter illos idem fatentur, loquentes de puella sub parentum potestate constituta. D. Thom. Turrec. & Nauarra allegati nu. 31. D. Anton. 2. p. tit. 5. c. 2. in principio. Syl. Nauarrus, Ioannes Hessels eodem. n. 3. citati idem Nauarra. lib. 4. cõf. in priori editione tit. de sponsal. cõf. 32. nu. vnico: in posteriori, lib. 5. tit. de raptor. cõf. 2. num. vnico. Abulenfis cap. 5. Matth. q. 203. Veracruz appendicæ ad speculum, vbi de raptu, fol. 82. §. consequenter etiam. Quandus. 4. d. 42. disput. vnica, propositione. 12. Palacios. 4. d. 34. disp. 2. col. 12. vers. est aliud. Salzedo super practica Bernardi Diaz. c. 78. in posteriori editione, in fin. Enriquez lib. 12. de matrim. c. 14. nu. 4. Toledo lib. 5. summa. c. 12. nu. 7. Emmanuel Sa summa verb. matrimonium, in principio nu. 9. Valentia. 2. disp. 9. q. 3. puncto. 3. col. 7. §. raptus. Manuel. 1. tomo summa. 2. editione. c. 232. nu. 1. Vega. 1. tomo summa. c. 55. casu. 25. §. la segunda. Et 2. tomo. c. 34. casu. 57. notabili. Similiter erit raptus, quando parentibus consentientibus ipsa renititur, vt probaui num. 8. Et quando est violentia respectu parentum, & ipsius femine, est necessariò explicandû, vt in simili dixi nu. præcedenti. sine.

Quòd si puella volens abducatur ignorantibus parentibus, aut tutoribus, nõ erit propriè raptus, vt bene docent Veracruz appendicæ ad speculum, vbi de raptu, fol. 81. §. verum animaduersione, Enriquez lib. 12. de matrim. c. 14. nu. 5. & rationem reddidi nu. 32. Erit tamen species distincta luxuriæ, ac necessariò confitentia, vt in simili dixi eodem num. 32. Et constat, quia multi eum appellant raptum, quos retuli. nu. 13. Et ita esse raptum dicit Abulenfis, cap. 5. Matth. q. 203. sed intellige non propriè esse raptum, sed ad eum reduci, vt declarauimus nu. 32.

Sextò deducitur esse raptum feminæ cuiuscunq; status, etiam meretricis, si volenter cognoscatur, aut abducatur. Quia quauis solius mulieris honestæ, talis dicatur, vt ordinarijs penis raptus, vt potest grauisimæ sunt, obnoxius sit (vt diximus

num.

nu.22.)at in foro scientie, est raptus diuersa speciei a simplici fornicatione, ac necessitudo fatendus, qualiscunq; sit femina, si violentia verè inferatur. Quia vis illa ad institutum pertinet. Atq; ita. D. Tho. 2. 2. (quem ceteri sequuntur). q.154. artic.7. explicans luxuriam speciem, indistinctè dixit esse raptum, siue femina vidua, virgo, aut corrupta violenter cognoscatur.

38 Septimò deducitur hunc raptum qui species luxuriæ est, minimè inueniri, quando non causa libidinis, sed alia causa sit. Iuxta ea quæ nu. 17. diximus. Erit tamen tunc alia species iniustitiæ. Nec ad hanc speciem raptus, est opus copulam subsequi, sed satis est vim inferri animo libidinis explendæ. Sicur adulterium erit, coniugatum aggreffi animo coeundi: in neutro tamen euentu delictum omnem suam consummationem habebit, copula minimè subsecuta.

39 Vtrum autem sit raptus propriæ sponsæ, & quando sit peccatum: dixi lib. 2. disputa. c. 22. nu. 1. 4. & sequentibus.

40 Vltimò deducitur, ad speciem hanc raptus necessarius consentiam, nil referre, siue vir rapiat feminam, siue femina virum. Cum enim vterq; raptus violentiam iniustitiam claudat, vterq; malitiam specifi cam diuersam à fornicatione habet. Quantis maior sit iniuria, quando vir feminam rapit, & solus hic raptus pœnis raptorum subiaceat, vt nu. 25. probant.

S Y M M A R I V M.

Attento iure ciuili, & canonico antiquo ri, ac nouiori, raptus dirimat matrimonium, nu. 41.

An ius antiquius sit in hoc, omnia correctum, ita vt quantus rapta maneat adhuc sub raptoris potestate, valeat matrimonium? nu. 42. Raptus aliena sponsæ an impediat raptorem cum quacunq; contrahere? nu. 43.

An ipsa quæq; sponsæ consentiens raptui, afficiatur eodem impedimento? nu. 44.

An hoc impedimentum intelligatur de sponsa sola de presenti, siue ea sit virgo siue soluta: & siue sit consummatam matrimonium, siue non? nu. 45.

An consideretur traditio de loco ad locum, & copula secunda? nu. 46.

Quid, si ambo sponsi raptui consentiant, vel sola sponsa, vel solus sponsus? & an aliquid conferat voluntas, vel contradictio parentum? nu. 47. & ibi, quid, si sponsus rapiatur. Quid, si sponso ignorante, aut eius consensu do-

lis, aut precibus importunus extorto, raptus fiat? nu. 48. Quid, si causa matrimonij in eundem raptus ille fiat? nu. 49.

Questio vltima. An raptus attentio iure antiquo ciuili, & canonico, dirimat, aut saltem impediat matrimonium? Et quidem si ius ciuile attendamus, dirimebit vtiq; matrimonium, non absolute, sed inter raptorem & raptam. Quod licet non adeo clarè constet ex l. vnica. §. & si quidem vers. nec fit facultas. C. de raptu virg. solū enim ibi sic dicitur. Nec fit facultas rapti raptorem solum sibi maritum exposcere. Inde enim colligitur interdictum esse id matrimonium, sed non cassatum. At id clarè constat ex arth. de raptis mulier. §. vnico vers. quia enim, ibi rapti stare matrimonium prohibemus. Stare enim idem est, quod semel initum consistere, ac vires habere tanquam validum. Et id constabit ex dicendis disp. sequenti nu. 2. vbi ex multis probabimus esse impedimentum dirimens inter raptorem & raptam, quod Tridentinum illud impederit, vtes ijs verbis. Nullum posse consistere matrimonium. Et ita fuisse impedimentum dirimens attentio iure ciuili, fatetur Decianus tractatu criminali, lib. 8. c. 6. nu. 9. Iure autem canonico antiquo consistebat quidem matrimonium inter raptorem, & raptam interdicti. c. de puellis. c. si autem, & c. placuit. 36. q. 2. non video autem in eis verbum, per quod tale matrimonium denotetur fuisse irritum: quauis communiter Doctores dicant inualidū fuisse. Verum hæc iura corriguntur per ius canonicum nouius. c. finali, de raptoribus, quod inter raptorem, & raptam matrimonium concedit. Quo standum est: vt vniuersi Doctores fatentur.

At difficultas est, an omnino ea iura correctata sint, atq; ita attentio. d. c. finali, de raptore, valeat semper matrimonium inter raptorem, & raptam? Nam Martinus de Magistris tract. de temperantia. q. de raptu, cœcl. 6. & 8. dicit id matrimonium non valere, nisi prius rapta ad pristinam libertatem redacta, parentibusq; restituta sit: ac raptor condignam egerit penitentiam. Dicitur, quoniam raptor est ipso iure excommunicatus: matrimonium autem tempore excommunicationis initum, est inualidum. Sed id fundamentum proflus corruit. Quod vtrumq; assumptum falsum sit. Raptorem enim iure antiquo attentio, non excommu-

nicatedum,

nicatedum, sed excommunicadum esse, probauimus. nu. 2. Matrimonium quoque excommunicationis tempore contractum, validum esse probauimus hoc libro disp. 9. num. 2. Alij autem diuerso fundamento ducti asserunt, non posse consistere validum matrimonium inter raptorem, & raptam, attentio. d. c. finali, nisi puella extra raptoris potestatem constituta, ac in pristina libertate posita, consensum præbeat. Ducitur, quòd id cap. finale, de raptor. iura antiqua corrigens, id videatur clarè petere, ibi. Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissenso transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat satisfacere. Nam dictio, postmodum, importat longum temporis intervallum, vt ex illo purgatus metus videatur, per l. 2. versic. postmodum. C. de custodia reorum, quem textum ponderat Bart. l. 1. §. diuis feuerus. nu. 1. & 4. ff. de quæst. ad probandum. consensum tormentis extortam, nò statim ac tortura cessat, esse ratificandam, sed aliquo tempore arbitrio iudicis transacto, ita vt iam tormentorum dolor non præsentaneus videatur. Deinde, quòd dictio illa, tandem, videatur importare quandam longissimam examinationem. Ita docent Barbacius consil. finali. n. 18. & sequenti, vol. 2. Et Bossius practica criminali, tit. de raptu mulieris. n. 18. Ceterum quantum hæc fundamenta sint apparentia: mihi certissimum est id non desiderari, sed satis esse, vt matrimonium valeat, attentio eo cap. finali, si rapta adhuc sub raptoris potestate existens, verè liberè consentiat. Et hoc est quod. d. c. finale intendit, dum petit consensum postmodum adesse, id est, si iam dissenso cessarit. Si enim voluisset id matrimonium esse nullum, dum rapta est sub raptoris potestate, id vtiq; expressis verbis declarasset: vt fecit Tridentinum sess. 24. de matrimon. cap. 6. (de quo decreto, disputatione tota sequenti est habendus sermo.) Nec credendum est verbis tã ambiguis, & obscuris voluisse irritare matrimonium. Quod est res tanti momenti. Et idèd hanc partè tuentur Abulenſis. c. 5. Math. q. 203. ad. 3. Maioris. 4. d. 29. q. 2. concl. 2. Couar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 1. Turrec. 36. q. 2. cap. apud omnipotentè, in fine. Veracruz. 1. p. Speculi, art. 15. ad finem. Antonius Cucus lib. 5. in fit. maiorum, tit. 12. num. 122. Mattienſio lib. 5. recopil. tit. 1. rubrica, glossa. 1. nu. 142. Enriquez lib. 12. de matrim. c. 14. n. 4. Manuel. 1. tomo summa. 2. editione,

c. 232. n. 4. Vega. 2. tomo summa. c. 34. casu. 157. notabili. 4. Necid obscure significat Decianus tractatu criminali, lib. 8. c. 13. n. 48. dicit enim valere matrimonium, attentio. d. c. finali, modò appareat clarè de libera mulieris voluntate. Quod (inquit) nò videatur apparere posse clarè, dum est in potestate raptoris. Sentit ergo valere matrimonium, si re vera liberè consentiat.

Raptus autem alienæ sponsæ impedit hodie matrimonium, ita vt raptor ille nec cum rapta, nec cum quacunq; alia: possit inire matrimonium, non tamen contractum dirimit. Constat ex c. statutum. 27. q. 2. ibi: Statutum est à sacro concilio, vt si quis sponsam alterius rapuerit, sine spe coniugij maneat. Atque ita omnes Doctores solū raptum alienæ sponsæ impedimentum esse matrimonij non obscure significant, dum impedimentum hoc raptus referentes, explicant raptum alienæ sponsæ. Et expressè alium raptum minimè impedire, docent Palud. 4. d. 34. q. 1. ar. 2. num. 13. Et Caiet. 2. 2. q. 154. ar. 7. ad finem. Veracruz. 1. part. Speculi, art. 15. concl. 2. Mattienſio lib. 5. recopil. tit. 1. rub. glossa. 1. num. 142. Pala. 4. d. 34. disp. 2. col. 12. vers. autem raptus: Et quantum c. si autem, 36. q. 2. videatur idèd de omni raptu statuerè, ibi: *Interare coniugium non presumat*. At ne noua inducantur (Caietanus nuper allegatus) intelligendum est de raptu alienæ sponsæ. Huius autem impedimenti reddit optime rationem Soto. 4. d. 37. q. vnica, art. 1. col. 4. vers. de raptore: quòd qui alienum matrimonium perturbare ausus est, iure propriè contrahendi merito priuetur: vt in quo deliquit, puniatur.

Nec ipsa sponsa rapta si postmodum consensum raptui præbeat, poterit alio matrimonio copulari. Colligitur a contrario sensu, ex eodem. c. statutum, ibi: *Et si ipsa eiddè criminis consentiens non fuerit, licentia nubendi illi non negetur*. Ita Veraci. concl. 1. & Palacios num. præcedenti allegati.

Sed an hic textus intelligatur de raptore solius sponsæ de presenti, an etiam de futuro, non explicat clarè Doctores. Glossa. d. c. statutum, vers. rapuerit, & Hugo ibi, & Archid. statim in principio, & Bellamera num. vnico, Turrec. alim. vnico, de raptu vtriusq; sponsæ videatur intelligere eū textum. At Palud. 4. d. 34. q. 1. ar. 2. nu. 13. explicans hoc impedimentum, ait, raptus alienæ sponsæ, id est, vxoris alienæ. Et ratio huius impedimenti relata. n. 43. ex Soto

vide-

videtur persuadere solum intelligi de rap-
tura aliena: sponsa de presenti, & id mihi
placet. Durum enim est, in re pœnali, & o-
diosa, nomine sponsa comprehendere eam
quæ per sola verba de futuro desponsata
est. Habebit autem locum hoc impedimē-
tum, siue sponsa illa sit virgo, siue corrup-
ta. Quod bene docet Palacios, & Veracruz
num. præcedenti allegati. Cum ius non dis-
tinguat. Idem dicendum est, siue matrimo-
nium sit consummatum, siue tantum ratū,
cū in vtroq; casu iniuria irrogetur ma-
trimonio.

46 Desideratur insuper ad hoc impedimen-
tum incurrendum, vt raptus ille fiat, tradu-
ctā sponsa de loco ad locum: prout, num.
20. & 21. explicui. Quod (vt ibi probavi,) raptus sine ea translatione, pœnis iuris mi-
nimè subiaccat. Existimo quoq; desidera-
ri copulam esse subsecutam. Quod alio mo-
do non sit delictum plene consummatum,
& iniuria plene matrimonio irrogata. Et
quanuis nu. 18. ad pœnas iuris ciuilibus rap-
toribus decretas incurrendas, distinxerim,
an copula habitā non sit ex voluntatis mu-
tatione, an ex imperiōtate; ad impedimē-
tum hoc matrimonij ea non seruita distin-
ctione, existimo copulam omnino deside-
rari; quia mitius procedit ius canonicum:
& in materia fauorabilis valde, qualis est ma-
trimoniū, impedimenta eius valde restrin-
genda sunt.

47 Præterea, si raptus sit vtroq; sponso con-
sentiente, non existimo locum esse huic
impedimento. Quia iniuria perfecta ma-
trimonij punitur: qualis non est, vbi vter-
que sponsus consentit: nec ille verè est
raptus. Cum nulli vis inferatur: quanuis sit
verum adulterium, propter bonum fidei
matrimonij violatum, cui neuter coniux
renunciare potest. Similiter non erit locus,
si solus vir consentiat, vxore renitente, quod
cesset similiter perfecta matrimonij iniu-
ria. Si verò sola femina consentiat, erit lo-

cus huic impedimento, quia irrogatur in-
iuria sponso, ac matrimonio: immo ipsa quo-
que ligabitur eodem impedimento, ne solu-
to eo matrimonio possit alij nubere, vt
diximus. n. 44. Contradictio autē parentū,
aut cōsensu ipsorū raptui, ad hoc nil con-
fert. Cū in hoc impedimento sola matrimo-
nij iniuria spectetur. Si autē rapiat femina
alienum sponsum, non afficietur hoc impe-
dimento. Quod solus raptus sponsæ aliene
hac pœna puniatur. d. c. statutum. Nec pœ-
na ea ad sponsum rapticē extendenda sit iux-
ta tradita nu. 25.

48 Deinde, si ignorante sponso raptus spon-
sæ consentientis fiat, vel renitētis, aut viro
dolis circumuento, non erit locus huic impe-
dimento. Quia raptus hic attenditur res-
pectu violentiæ illatæ viro (vt dixi. n. præce-
denti) at nō est propriè raptus respectu ip-
sius, quādo solū est ignorans, aut dolis cir-
cūuentur, vt diximus. n. 33. & dicemus in
simili, disp. seq. n. 12. & sequen. Quod si di-
cas perturbari etiā matrimoniu. Quæ est ra-
tio huius impedimēti (vt dixi. n. 43.) fateor
id. At non quæcūq; perturbatio matrimoni-
nij præstat hoc impedimētū, quāuis esset
per adulteriū extortū absq; translatione:
sed perturbatio per raptū, nō est autē prop-
riè talis in hoc euentu. Quod si importun-
nis precibus viri cōsensu extorqueatur:
si ea tales sint vt violentiæ æquiparentur:
erit locus huic pœnæ. Cū sit propriè rap-
tus: secus non, vt constat ex dictis. n. 10. &
32. & ex dicendis disp. sequenti. n. 10.

49 Tandem, si sponsa aliena causā incundi
matrimonij cum ipsa, extrahatur, existimo
locum esse huic pœnæ. Quia est verè rap-
tus perturbans matrimoniu, immo magis
quā si solus libidinis explende causā: ibiq;
inuenitur causā libidinis, cū ea tam effre-
nata fuerit, vt raptorem traxerit ad valen-
dum inire matrimoniu inualidum cum
coniugata, ad fruendum eius concubitu, &
hac de causā rapiendam illam.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

Quando attento Decreto Tridentini, raptus dirimat matrimonium:
obnoxiusq; sit excommunicationi, & pœnis in eo decreto contentis?

SUMMARYM.

Quando raptor cū fautoribus sit excommu-
nicatione, & ceteris pœnis Tridentini
ligatus: & an e. excommunicatio sit reserua-

ta: siq; irregularis: & ea pœna sit ut iudicis
desiderent. Ac eas incurrat Patochus as-
sensus matrimonio inter raptorē, & raptā non
dum ad pristinam libertatem restituta: nu. 1.

An raptus sit impedimentum dirimens attentō
eo decreto obnoxius. 2.
An ips pœnis Tridentini locus sit, quando raptus
non sit causa incundi matrimonij cum raptā?
Refertur quædam sententia, nu. 3.
Proponitur sententia Auctoris, nu. 4.
An raptus causa solius libidinis factus qui est
luxuria species, puniatur in eo decreto? nu-
mer. 5.
Quid de raptu facto vt raptā cū alio inear ma-
trimonium? nu. 6.
An raptus sine translatione de loco ad locum cō-
prehendatur? nu. 7.
An desilere ut subsiqui copulam? nu. 8.
Quid, si familia volens abducta sit, & post reni-
tatur? nu. 9. & ibi, quid, e contra?
Quid, si raptā non perducta sit ad locum desi-
natum? nu. 10.
Quid, si importunis precibus, aut pretio aldu-
da sit? nu. 11.
Quid, si dolus? nu. 12.
Quid, si iniuris, aut ignorantibus parentibus
virgo volens rapta sit vel ipsa nolens volenti-
bus parentibus? nu. 13.
Quid, si raptus sit meretricis, aut coniugate,
aut cuiusvis status, vel habentis quocūq;
impedimentum dirimens matrimonium cum
raptore? nu. 14. & ibi, an desideretur matri-
monium subsequi, ad eas pœnas?
Quid, si rapiatur sponsa propria per verba de fu-
turo? nu. 15.
Quid, si femina rapiat virum? nu. 16.
An irrita sint sponsalia inter raptorem & rap-
tam? nu. 17.
Soluuntur argumenta, nu. 18.

Remittendum est Tridentinum
(sef. 24. de mati. c. 6. aliquot pœ-
nas raptoribus statuisse: nimirū,
vt matrimonium inter raptorē,
& raptam consistere nequeat, quādiu rap-
ta in potestate raptoris manserit: secus si
extra illius sit iam potestatem, ac in loco tu-
ro, & libero constituta. Deinde, vt raptor-
es, ac consilium, auxilium, aut fauorē præ-
bentes sint ipso iure excommunicati, per-
petuò infames: ac omnium dignitatum in-
capaces, & si clericus fuerint, de proprio gra-
du decident. Tandem, vt raptor teneatur
raptam decenter arbitrio iudicis dotare, si-
ue eam duxerit, siue non. Quæ excommu-
nicatio est latæ sententiæ: ac proinde nul-
lum iudicis actum desiderat. Quod constat,
quia dicitur ibi: *sunt ipso iure excommunicati*.
At particula, ipso iure, denotat sententiam
latam, vt testatur multis citatis Tiraquel.

li vnquam verb. reuertatur, num. 20. c. de
renoc. donat. Et ita esse excommunicatio-
nem latam, fateatur Veracruz appendice ad
speculum, vbi de raptu, fol. 33. §. relicta er-
go: & fol. 31. §. hic considerandum. Cui nemo
contradicit. Immo esse excommunica-
tionem Pontifici reseruatam, ait Manuel. 1.
tomo summa, 2. editione. c. 213. nu. 7. Verū
id omnino negandum est. Quod Tridenti-
nū in eo decreto minimè reseruetur ac subin-
de locum habeat regula tradita. cap. nuper
vers. in secundo casu, de sent. excom. nemp-
pe, vt reseruata non sit. De matrimonio an
sit ipso iure irritum, dicemus nu. sequenti.
Teneri raptorem ad raptam dotandam, ma-
nifestè est pœnæ iudicis sententiam postu-
lans. Quod clarè constat, eò quod Triden-
tinum addidit teneri arbitrio iudicis dota-
re decenter. Atq; ita fateatur Veracruz ap-
pendice ad speculum, vbi de raptu, ad finē,
fol. 84. & Enriquez lib. 12. de mari. c. 14.
nu. 5. vbi addit arbitrium hoc iudicis fore
attēta qualitate raptoris, & raptæ. Quia eū
sit pœna iniuriæ illatæ, & illa sit maior, aut
minor attēta virtutis; personæ conditio-
nis, meritò ea spectanda est ad id arbitrium.
Dixi hoc esse penam, & exigi iudicis sen-
tentiam: quatenus imponitur per id decre-
tum, & dos arbitrio iudicis taxanda venit.
Nam si ex raptu pullulare raptæ damni-
ficatio fore conscientis nulla iudicis expec-
tata sententia, instar aliorum damnorum
quæ iniuste inferuntur, resarciendum esse,
dubitat nemo, & fateatur Enriquez ibidem.
Perpetua quoq; infamia sententiam iudicis
postulat, vt in simili casu ait Natur. stā-
tū allegandus. Et idem dicendum est de ea
pœna decidendi à proprio gradu. Atq; ita
Enriquez. d. c. 14. nu. 4. explicans id decre-
tum, ait de proprio gradu eos deiciendos
esse, ac deponendos, manifestè significans
non depositos esse, donec ministerium iu-
dicis deponentis accedat. De pœna autem
incapacitatis dignitatum posset ambigi.
Quod sit pœna priuatiua: propter illa quæ
allegabo lib. 10. disp. 30. nu. 1. Ceterum ea
regula de pœnis priuatiuis non est certa (vt
dicam ibi. nu. 2.) Atq; ideo meritò inhabi-
litem indigere iudicis sententia, ob eius
pœnæ maximam acerbitatē, docent Na-
uar. in extranagato Gregorij. XIII. de da-
tis pro iustitia, vel gratia, notabili. 3. 1. n. 44.
Molina tom. 1. de iustitia, tract. 1. disp. 96.
§. quod ariner ad pœnas. Quod maximè
verum est: quia ea dignitatum incapaci-
tas sequitur infamiam, ac proinde immediatè